

varii sunt modi respondendi quos latissime referunt, et tractant Carmelitani Salmanticenses tr. vii de Angelis, disp. v, dub. v n. cvii, usque ad cxxxviii et Navarrete hic contror. lII. Nos omnibus pensatis breviter respondemus ex doctrina D. Thomæ duo.

Primum est, quod species Angelorum non dicuntur universales, quia objectum aliquod repræsentent in universali, quod sit abstractum ab inferioribus, et universale in prædicando, vel aliqua natura, et gradus genericus contrahibilis ad inferiora: sic enim ut probat argumentum, solum cognoscerentur res inferiores in confuso, et potentialiter, quia solum attingerentur ut contentæ in tali natura, et gradu superiori. Unde hunc modum repræsentandi universaliter aperte excludit D. Thomas in hac quæstione LV, art. III ad I et q. viii de verit. art. x ad I, et expressius in II, dist. III, q. II, art. II ad I ubi dicit, quod formæ Angelorum non sunt universales, neque sumpto universali pro ipsa natura quæ est in particularibus, licet in eis non sit secundum rationem universalitatis: neque sumpto universali pro universali per abstractionem. Solum ergo dicuntur species Angelorum universales ratione medii per quod repræsentant res ipsas usque ad proprias differentias illarum. Et hoc medium quanto est universalius, tanto perfectius et intimius repræsentat res quæ sub illo comprehenduntur, sicut causa quanto est universalior, tanto vehementius influit in effectum, et intimius ac profundius illum attingit, eo quod talis causa est activior, et perfectior; et sic universalitas ejus est universalitas activitatis, quæ ad plures rationes se extendit. Et ad hunc modum habent species angelicæ modum repræsentandi perfectiorem

exprimendo in se repræsentative id quod causa universalior habet active, et ad eum modum attingendo plura objecta in repræsentando, sicut causa universalior attingit in causando: causa autem universalis non attingit effectus suos solum in communi, et in confuso, sed usque ad particularia propria descendit, sic species illa universalior in repræsentando attingit omnis particularia ex parte rei cognitæ.

XVIII. Secundum quod ex D. Thomæ accipimus est, quod non oportet hoc medium universale, sub quo species angelicæ repræsentare dicuntur modo universaliori, accipere ex parte alicujus rei, seu objecti, quod habeat unitatem per modum rationis, quæ quasi sit res aliqua, quæ directe, et per se repræsentetur tamquam res repræsentata, et cognoscibilis, et sub illa aliæ res contentæ repræsententur, sed sufficit ponere unam rationem formalem, sub qua tales species repræsentent plures ac diversas quidditates, vel rationes intelligibiles. Quæ ratio formalis sub qua non est aliud quam respectus, et habitudo ad ideas divinas secundum diversum modum quo causant, et derivant res in hoc universo: ab ideis enim divinis exemplatur res in sua propria natura existentes, et in mentibus Angelorum tamquam in similitudine intentionali repræsentatæ. Hanc enim esse mentem D. Thomæ constat ex pluribus ejus locis in quibus ex S. Augustino affirmat similitudines, quæ sunt in mentibus angelicis esse quasdam similitudines derivatas ab ideis divinis, ita quod sicut ab ideis procedunt res ut existant aut subsistant in propriis entitatibus, ita etiam ut repræsententur in mentibus Angelorum, ut patet in hac quæstione LV, art. II et q. LVII, art. II ad II et q. VIII de verit. art. x et XI et multis locis, ubi tractat de

modo, quo Angeli cognoscunt singularia: semper enim recurrit ad hoc, quod formæ, seu similitudines intellectus angelici sunt exemplatæ ab ideis divinis. Unde sicut illæ causant res, non solum quoad formam, sed etiam quoad materiam, et individuationis principia, et quoad omnes rationes, quæ in unaquaque re inveniuntur, ita similitudines repræsentativæ in Angelis omnia repræsentare possunt, quæ sunt in aliqua re, sive pertineant ad individuationem, sive ad specificationem, sive ad alias latentiores rationes; et de his tanto plures vel pauciores rationes unica similitudine explicari possunt, quanto similior est ideis divinis causantibus tales res, et ab illis perfectius, et intimius exemplatur, et quasi sigillatur in mente Angeli.

XIX. Explicans autem D. Thomas quomodo hoc medium, et hæc ratio qua derivantur istæ species ab ideis divinis, potest esse ratio repræsentandi plura in speciebus angelicis; atque adeo constituere species universales, id est, non adæquate se habentes ad particularia objecta, sed inadæquate, multaque completentes, sic dicit in quæstione VIII de verit. citata, art. x ad III: « Id quod unum est, non potest esse ratio propria plurium si sit eis adæquatam; sed si sit superexcedens, potest esse propria ratio plurium, quia continet in se uniformiter propria uniuscujusque, quæ in eis divisim inveniuntur. Et hoc modo essentia divina est propria ratio rerum omnium, quia in ipsa uniformiter præexistit quidquid divisim in omnibus creaturis invenitur, ut Dionysius dicit. Et similiter cum formæ intellectus angelici sint excellentiores rebus ipsis, utpote divinæ essentia propinquiores, non est inconveniens si una forma intellectus angelici sit propria ratio plurium se-

cundum diversas ejus habitudines ad res diversas, ex quibus habitudinibus consurgit pluralitas idearum. Sed formæ intellectus nostri accipiuntur ex rebus: unde non sunt superexcedentes rebus, sed quasi adæquatæ quantum ad repræsentationem, licet sint excedentes quantum ad modum essendi, quia immateriale esse habent. » Ita S. Thomas. Quare in ejus sententia, et pro ejus sensu percipiendo duplex ordo intellectum considerandus est. Nam intellectus humanus de se naturaliter inclinatus est ad sumendas species ab objectis, et quia objecta de se non possunt imprimere, nisi speciem talis intelligibilitatis, qualem ipsa fundant: ideo natus est intellectus formari speciebus adæquatis ipsis objectis a quibus eas haurit; et tales species habent semper aliquid quod repræsentent tamquam rem unam repræsentatam, a cujus unitate accipiunt unitatem repræsentationis, quia sic objectum unum est. Unde fit, quod quando a Deo infunduntur species animæ humanæ pro isto statu, sive sint naturalis ordinis, et per accidens infusæ (id est, quæ alias possent non infundi, sed acquiri) sive sint supernaturalis ordinis, et per se infusæ, tamen in modo repræsentandi se adaptant ipsi connaturali modo intellectus humani, uti videlicet tales species sint adæquatæ ipsis objectis, et unaquæque ad naturam objecti adaptata, et concisa; ideoque anima Christi licet perfectiores, et limpidiores species in scientia infusa receperit quam Angelus, fuerunt tamen magis particularizatæ, et coaptatæ ipsis objectis. At vero intellectus angelicus ex natura sua est independens ab objectis quantum ad hoc quod est non sumere species ab ipsis. Unde non coaptantur species suæ intelligibilitati, quæ est in objectis, nec ad earum unitatem res-

picitur unitas rei repræsentatæ, sed desumit species seu similitudines suas ut derivatas ab ideis divinis, quæ sunt principia rerum ipsarum seu objectorum, sicut si aliquis ad cognoscendam domum non respiceret eam prout est in ipsis lapidibus, et lignis jam fabricata, sed prout est in aliqua copia descendente ab idea artificis, in qua perfecte sigillaretur magis vel minus unite, sicut domus ducentum cubitorum potest in uno palmo perfecte delineari, desumendo id ab idea artificis. Et tunc non consideratur unitas speciei ex unitate, vel multiplicitate rei repræsentatæ, sed ex modo quo ab arte delineatur, et adunatur sub quadam universalitate, et unitate ipsius artis sic delineantis. Sicut ex uno sigillo vel typo potest exprimi figura, quæ simul repræsentet hominem, et equum, et arborem quia non attenditur hæc unitas ex ipsis rebus, sed ex modo quo derivatur a sigillo, et uniuntur in eo. Et ita S. Thomas in II, dist. III, q. II, art. II ad primum dicit, quod: « Est quoddam universale ad rem (id est, universale per modum causæ) quod est prius re ipsa, sicut forma domus in mente ædificatoris, et per hunc modum sunt formæ universales rerum in mente Angeli, non ita quod sint operativæ, sed operativis similes. » Et articulo tertio sequenti in fine corporis inquit, quod: « Formæ quæ sunt in mente Angeli sunt simillimæ rationibus idealibus in mente divina existentibus, sicut deductæ immediate exemplariter ab eis. » Itaque uno verbo, a divina mente tamquam ab artifice profluunt, et res in propria natura, et materia, sicut domus ab artifice in lapidibus, et lignis, et profluunt imagines repræsentativæ talium rerum, sicut ab artifice fit in papyro, vel cera, aut ære incisio, et copia domus faciendæ, quam typum seu modelum vo-

camus; et hæc non desumit suam unitatem ex re ipsa fabricata ut in se, sed ex unitate, et modo, quo est in mente artificis. Et quia artifex sua idea potest adunare plura vel pauciora alicujus artificii, vel ædificii secundum diversas habitudines, post etiam magis vel minus adunare res repræsentatas in una similitudine, et sicut potest in uno typo conjungere plures partes unius domus, ita plures domos pro una civitate, aut plures civitates pro uno regno, licet quia hæc in materia aliqua pinguntur, non ita perfecte exprimantur: Deus autem qui depingit intelligibiles intentiones in mente Angeli, ex suis ipsis eas imprimit cum perfectissima repræsentatione, et cum ea adunatione, et unitate, qua in ideis adunantur, seu simili ad illas, et participata ab illis.

XX. Sed dices: Unde habemus quod Deus infundit Angelis species sic derivatas a suis ideis, et non ut adæquatas ipsis objectis? Hoc enim non nisi divinando dici potest. Et dato quod ita sit, adhuc non sequitur intentum: nam ideæ divinæ considerari possunt vel ut attingunt res ipsas ideatas, et multiplicantur secundum habitudines ad ipsas, vel ex parte ipsius Dei secundum quod illa omnia sub uno modo cognoscendi, et operandi comprehendit. Si considerentur ideæ secundum quod distinguuntur penes ideata, diversæ ideæ sunt sicut res ipsæ ideatæ, ut ex D. Thoma supra diximus disputatione prima, et sic tot erunt species in Angelo quot sunt ideæ multiplicatæ ad multiplicationem ideatorum, quod est perinde atque accipere species ab objectis: sic enim multiplicantur ideæ, sicut objecta ipsa. Si vero considerentur ideæ ex parte ipsius Dei, et modi cognoscendi illius, et operandi, sic non multiplicantur ideæ, sed sunt unum, et ita si species angelicæ pro-

hac parte imitantur ideas, una species erit in omnibus, non multiplex quia modus idearum unus est.

Respondetur quod in primis hoc nullam habet repugnantiam quod Deus ex suis ideis, ex quibus universam creaturam format, formet etiam intelligibiles species, et mentibus imprimat Angelorum, ita quod in eis formet intelligibilem mundum, sicut extra format illum in sua materia. Quod vero ita de facto fecerit, non divinando dicitur, sed cum maximo fundamento, tum quia expresse asseritur a S. Augustino II de Genesi ad litteram, capite VIII, et affert illum locum S. Thomæ hic q. LV, art. II, quod: « Deus prius ex rationibus per quas condidit creaturas facit eas in cognitione seu mente Angelorum, ac deinde in seipsis. » Dicitur etiam Angelus: *Signaculum similitudinis plenus sapientia*, Ezechiel. XXVIII, quasi in ipso suæ creationis initio sigillatus sapientia a Deo quod est ex ejus ideis, et scientia participare formas suas intelligibiles, quibus sapientia formatur. Congruum quoque est naturæ ejus; quia cum sit forma pure intellectualis, et spiritualis, nec sensus habeat, quibus ab objectis corporeis hauriat species; nec aliæ spirituales substantiæ creatæ ejus menti illabi possint, ut eam formet, oportuit a summo spiritu, qui omnium objectorum continet rationes, formari, eique species imprimi a tali spiritu summo derivatas: et hoc est ab ejus ideis derivari similitudines in Angelos, quia pure spiritualis est, et a spiritu conditore, non ab objectis formari debet.

XXI. Ad id vero, quod dicitur de multiplicatione idearum, respondeamus quod licet ideæ multiplicentur per connotationem, et habitudinem ad res in se, ex parte autem Dei, et modi intelligendi ejus habeant sum-

mam unitatem, in mente tamen Angelorum derivantur pro captu suo, non solum itæ divisæ, sicut res ipsæ ideatæ, sed cum aliqua unitate, seu adunatione ex parte modi idearum, quia repræsentant res ut procedunt a Deo; et sic ex ipso modo procedendi, quem repræsentant unitatem sortiri possunt, quia sub illa habitudine repræsentant, sub qua descendunt a Deo. Sed tamen quia sunt similitudines deficientes ab ipsa simplicitate, et infinitate divinarum idearum, ut sunt in Deo, non possunt illum unicum modum, qui ex parte Dei se tenent unico, et adæquato modo repræsentare, sed diverso, unaquæque juxta modum, et captum suum. Et sic quia ideæ divinæ causant res, non solum secundum habitudinem, et dependentiam ab ipso Deo qui summe, et infinite unus est, sed secundum habitudines diversas ad causas, et fines magis particulares, vel etiam magis universales; ideo non solum attenditur distinctio idearum secundum diversitatem ipsarum rerum procedentium, sed etiam secundum diversos respectus, et modos procedendi, et secundum diversas habitudines ad diversos fines: hæc enim omnia ad ideas pertinent. Et ita possunt derivari ab illis ideis similitudines, magis etiam vel minus universales in repræsentando res sub illa derivatione qua fluunt a Deo sub habitudine magis vel minus ampla, et universali; sicut artifex superior potest efformare similitudinem unius domus, secundum quod in se est quoddam particulare ædificium, vel secundum quod conducit ad civitatem, sicut est arx; vel totius civitatis aut integri exercitus, vel classis secundum quod conducit ad bonum regni: et sic secundum diversas habitudines fit universalior repræsentatio, et similitudo. Sic ab ideis divinis possunt in mentem Angeli

derivari similitudines lapidum vel herbarum, ut conducunt ad medicinalem virtutem, vel ut pertinent ad climata hujus regionis, potius quam illius, et similiter similitudines avium quatenus tali regioni deserviunt, aut tali utilitati, aut fini, vel etiam secundum quod deserviunt homini, vel secundum quod pertinent ad ornatum integri elementi, v. g. aeris vel terræ, ubi est altior, et universalior finis, vel etiam secundum quod fiunt a causis universalibus cœlorum, ac denique secundum alias diversas habitudines, et fines qui variare possunt modum quo ista derivantur a Deo. Quod unico verbo dixit S. Thomas quæstione illa viii de verit. art. x ad iii, quod: « Una forma intellectus angelici est ratio propria plurium secundum diversas ejus habitudines ad diversas res, ex quibus habitudinibus consurgit pluralitas idearum. » Nota hoc bene.

XXII. Ad argumentum ergo hujus primæ difficultatis, respondetur concedendo quod species angelicæ non sunt universales ex eo quod aliquam naturam in universali seu gradum aliquem genericum directe et per se repræsentent, ut expresse talem universalitatem repræsentandi excludit S. Thomas in ii, dist. iii, qu. ii, art. ii ad i. Sed ex eo quod repræsentant plures res sub aliquo universali medio, id est, quatenus descendunt a Deo, et ab ideis divinis secundum diversas habitudines, ut declaratum est conformiter ad caput, modumque ipsius Angeli. Unde non oportet istis speciebus assignare unam rationem tamquam objectum quod, seu ex parte rei cognitæ, et rationis formalis quæ, sed tamquam objectum quo, et ex parte rationis formalis sub qua, scilicet quatenus res illæ descendunt a Deo sub tali, vel tali habitudine, et ordine magis vel minus uniente res

illas in ratione derivandi a Deo.

Et quando instatur, quod nullus modus, aut accidens, aut conditio, aut respectus, vel nulla causa, aut ratio creata potest adunare perfecte in intelligibilitate plures quidditates, respondemus quod conditio, aut respectus, seu ratio aliqua creata, si sumatur secundum se, non potest esse ratio adunandi perfecte in repræsentatione plura objecta; si autem sumatur non præcise secundum se, sed ut descendens a Deo, et ab ideis divinis; sic potest esse ratio repræsentandi plura perfecte, et distincte, quia perfecte, et distincte descendunt a Deo, et ab ideis divinis. Unde non oportet unitatem hujus repræsentationis sumere ex aliqua unitate rerum repræsentatarum in se, sed ex unitate, et modo exemplaris a quo derivantur; sicut sigillatum sumit unitatem a sigillo, licet res valde diversarum figurarum exprimat. Et ista ratio sub qua non est repræsentabilis ut quod, sed ut quo, et hoc sufficit ad unitatem repræsentationis sic sigillatæ a divino exemplari, et idea.

Et cum instatur quod duæ quidditates specificæ repræsentari possunt per duas species adæquatas, nec habere possunt aliquid in quo adunentur quod perfecte, et distincte illas repræsentet, quæ est replica Arrubalis disp. clxv, c. i, respondetur quod illæ quidditates sunt repræsentabiles per diversas species adæquatas, si secundum se, et secundum inferiores, et proprias rationes considerentur, quæ ex objectis ipsis desumuntur, illisque adæquantur. Si autem repræsententur secundum altiorem rationem, scilicet ut procedunt a Deo, seu ab ideis divinis, et secundum similitudinem, et sigillationem ab ipsis, sic possunt repræsentari in superiori ratione, et tamen repræsentari proprie, et distincte, quia non repræsentantur ibi ut in

gradu, et prædicato superiori, sed ut in causalitate, et processu ab exemplari superiori, in quo uniri possunt illæ res quæ alias in se sunt diversæ, secundum diversas habitudines magis vel minus universales, secundum quas ab illis procedunt: sicut arborem, et lapidem, et fluvium possunt repræsentare distinctæ figuræ, et picturæ, si res illæ secundum se considerentur, sed si in uno sigillo, seu typo ista omnia adunentur unica sigillatione possunt imprimi, et repræsentare. Nec ex hoc inferri potest quod videntur in ipso Deo, seu in ideis, ut tenent se ex parte ipsius Dei, sed videntur in similitudinibus, seu per similitudines derivatas ab ipsis ideis, quæ non repræsentant ideas ipsas, ut sunt in se, et ex parte Dei, sed res ipsas ideatas prout procedunt, et dependent passive a Deo, quod totum pertinet ad ordinem naturalem, prout tales creaturæ exeunt a Deo ad componendum hoc universum, et sub diversis respectibus, seu finibus sub quibus istæ vel illæ creaturæ adunantur, et producuntur, repræsentari possunt, sicut res sigillatæ non repræsentat sigillum ut est aureum vel æreum in se, sed prout recipitur impressio ejus in sigillato.

XXIII. Ad secundam difficultatem respondetur sine dubio probabilius esse, quod secundum differentiam specificam unius Angeli, elevatior modus cognoscendi, et universalior species correspondet; et cum quilibet Angelus habeat diversam naturæ speciem, quilibet superior in specie habet aliquam superioritatem in modo repræsentandi specierum. Et ad hoc facit doctrina S. Thomæ qui in hac quæstione lv, art. iii absolute, et sine distinctione docet quod Angelus, quo superior, eo per pauciores species intelligit: est autem superior etiamsi non hie-

rarchia, aut ordine, sed etiam specie inæqualis, et superior sit. Et qu. viii de verit. art. x inquit, quod: « Quanto in Angelo fuerit plus de actu, et minus de potentia, tanto emanatio hujusmodi rationum (intellige emanationem a Deo, non a natura Angeli) minus in ipso multiplicabitur. » Quæ ratio currit respectu cujuscumque Angeli specie diversi ab alio; quæcumque enim differentia specifica facit Angelum esse superiorem alio, et plus habere de actu, et magis participare divinam similitudinem, quæ sunt rationes minus multiplicandi species, et perfectius participandi similitudinem divinam. Unde procedit argumentum quo utitur D. Thomas quæstione de anima, art. vii in corpore et ad quintum, nam Angeli hoc ipso quod differunt specie, differunt etiam in participatione divinæ similitudinis, et magis, vel minus ad eum accedunt: ergo etiam differunt in participanda similitudine divinarum idearum: ergo oportet quod simpliciori modo repræsentent species perfectioris Angeli, atque adeo, et modo universaliori, qui magis unitus, et simplex est, si quidem participatio illa idearum actualiore est, et minus habet de potentia: ergo magis unita, et simplex est repræsentatio.

XXIV. Quod si inquiras: Si ita est, quod Angeli, ex eo quod superiores, et actualiores in sua natura, pauciores habent species, et quanto inferiores tanto plures habent, cur etiam non dicemus quod Angeli quanto inferiores, tanto plures potentias habent ad intelligendum, et quanto superiores, minus: si vero in inferioribus est una potentia, sicut in superioribus, sed potentia inferiorum est minus actualis, et efficacior, magisque potentialis, potentia vero superiorum magis vigorosa, et formalior, cur etiam non dicemus idem